



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

IV. Ablaßbrief des Erzbischofs Erich von Magdeburg für alle Gläubigen,
welche die Klosterkirche zu Zehdenick besuchen und ihr Wohlthaten
erweisen, vom Jahre 1287.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

senioris, aliis nostris filiis sigilla non habentibus, munimine iussimus roborari. Testes hujus sunt: Arnoldus de Bredowe, Henricus de Grobene, Theodericus de Bornen, Theodericus de Nemech, noster advocatus in Spandowe, Albertus de Grobe, Henricus de Thene et alii quam plures. Actum anno domini M^o. CC^o. LXV^o., VI kalend. Decembris, indictione VIII.

Nach dem Original im Brandenburger Domarchiv aus Hesters Abschrift.

III. Die Markgrafen Otto und Konrad bestätigen dem Kloster Zehdenick ein Vermächtniß von 4 Wispel jährlicher Kornhebung aus den dortigen Mühlen, am 1. Dezember 1281.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Otto et Conradus, dei gratia brandenburgenses marchiones, vniuersis cristi fidelibus, ad quos presens scriptum deuenit, salutem in eo, qui est omnium perpetua uera salus. Quum ea, que pie geruntur in tempore et maxime pro conquirendo merito eternali, ne a memoriis elabantur hominum, expedit descriptione telium et scriptis principum perhennari, ne mater erroris ingrata surrepat obliuio, quatinus futurorum noticie transmittantur; Notum esse cupimus tam futuris quam presentibus cristi fidelibus, quod dum miles fidelis noster, heinricus, dictus glucer agnomine, diuina tactus gratia, bene adhuc sanus, pro testamento suo salubriter premeditari disponderet, deo dicatis virginibus sanctimonialibus cenobii Cedlicensis quatuor choros siliginis, quos a nobis tenens accepit de molendino ciuitatis eiusdem Cedlicensis annis singulis, dedit, maturo nostro consensu diuine pietatis intuitu ac ipsius militis seruiicii accedente. Ut ergo retribucio nobis ac nostris fieret heredibus hujus donationis copiosior, ipsorum quatuor chororum proprietatem addidimus eidem virginibus presati Cedlicensis cenobii perpetualiter possidendam. Hujus rei testes sunt milites nostri Thethardus de Woztrowe, Iudekinus de Bekedorpe, Johannes de Nowen, dapifer, frater Theodericus conuersus peccator curie vitumanstorpensis, et alii fide digni. Ne uero tam rationabilis predicti h. militis nostri ac nostra donatio possit in posterum a successorum nostrorum aliquo irritari, scriptum presens fieri iussimus et cenobio supradicto tradidimus, ad cautele majoris euidentiam sigillorum nostrorum munimine roboratum. Actum vitumanstorpae, anno domini M^o CC^o LXXXI^o, in capite Kalendarum Decembris.

Datum per manum domini Meinardi, nostre curie cappellani.

Nach dem Original im Besitze des Stifts.

IV. Ablassbrief des Erzbischofs Erich von Magdeburg für alle Gläubigen, welche die Klosterkirche zu Zehdenick besuchen und ihr Wohlthaten erweisen, vom Jahre 1287.

Ericus, Dei gratia Sancte Magdeburgensis ecclesie Archiepiscopus, dilectis in christo preposito et Abbatisse totique conuentui Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis in Cedenick

Salutem et sinceram in Domino caritatem — pro diuina reuerentia viteque uestre meritis exigentibus delectamur vos prosequi dono gratie specialis, presertim in his, que salutem promouent animarum. Inde est, quod deuotionis uestre precibus annuentes, omnibus uere penitentibus et confessis, qui in festo beati Georgii, Martini et octo diebus immediate sequentibus ad ecclesiam uestram causa deuotionis accesserint, Ipsisque qui uobis pro edificiis construendis seu pro aliis uestris necessitatibus subleuandis manum porrexerint adiutricem, duas karenas de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Magdeburgh, Anno Domini M. CC. LXXXVII.

Datum sub secreto dni Theodorici, episcopi Brandeburgensis.

Nach alter Copie.

V. Die Markgrafen Otto und Konrad vereignen dem Kloster 16 Hufen Landes im Dorfe Mutz, am 27. Juni 1288.

Otto et Conradus, dei gratia marchiones Brandeburgenses, omnibus in perpetuum. Quod felix uoluntas principum ordinat atque donat, fulciri solet scriptis autenticis, ne eorum posteris exinde dubietas aliqua oriatur. Inde est, quod ad uniuersorum notitiam cum manifesta recognitione presentium cupimus peruenire, quod ob honorem dei omnipotentis et gloriose uirginis matris eius Marie ac in remissionem nostrorum peccaminum, conventui sanctimonialium in Cedenik proprietatem super sedecim mansis in villa Mostiz sitis dedimus possidendam pacifice temporibus perpetuis pleno iure, quos uidelicet mansos prius dominus Thethardus de Wozftrow cum consensu patruelium suorum et nostra consciencia ac permissione dictis sanctimonialibus emptionis titulo dereliquit. Ut autem hec nostra proprietatis donatio per nos nostrosque successores hereditarios stabilis permaneat ac perpetuo inconcussa, presens autenticum super huiusmodi confici iussimus et sigillorum nostrorum appensionibus roborari. Hujus rei testes sunt Hasso de Wedele, Wilhelmus de Kerkowe, Henricus de doffa, Tethardus de Wostrow, milites, et complures alii fide digni. Datum Botzowe, Anno domini MCCLXXXVIII°, V° kal. Julii.

Nach dem Original im Besitze des Stifte.

VI. Bischof Heydenreich von Brandenburg bestätigt dem Probst zu Zehdenick die ihm über die zum Kloster gehörigen Pfarren beigelegten Synodalrechte, am 15. März 1289.

Nos heydenricus, dei gracia Episcopus Brandeburgensis, recognoscimus et tenore presentium publice protestamur, nos uidisse litteras domini Ottonis, bone memorie Episcopi Brandeburgensis, predecessoris nostri, non cancellatas, abollitas nec in aliqua parte sui uiciatas, in quibus concessum dinoscitur preposito sanctimonialium in Cedenic, qui pro tempore fuerit, presidere sinodis in ecclesiis, que tunc pleno iure ad idem cenobium pertinebant, quarum nomina in predicti domini Ottonis litteris expressius exprimentur. Similiter uidimus litteras renunciationis